



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

Circumcisio Domini Et Octava Nativitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

- ciense editum Divione, et Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi. Neque de hoc constat an ut Sanctum cum venerentur Cistercienses.
- S. Stephanus in Oriente, refertur in Martyrologiis MSS. vetustissimis Epternacensi et Rhinowiensi. Fortassis idem est, qui cum S. Vitale colitur 2. Januarii, de quo nos 11. Januar.
- S. Aspasius Episcopus Elusanus. Molan. Ferrar. Mart. German. nos 11. Januar.
- S. Adelardus Abbas Corbeiensis. Martyrologium Germanicum, et MS. Florarium Sanctorum, nos de eo agemus 11. Januar.
- S. Melchior Rex Magus. MS. Florarium Sanctorum, nos 11. Januar.
- S. Potitus puer xiii annorum Romæ. MS. Florarium. Idem est qui in Martyrologio Romano habetur 13. Januar.
- S. Severus Episcopus Ravennas. Maurolytus, aliique. De eo agemus cum Martyrologio Romano 1. Februar.
- S. Euphrosyna Virgo Alexandrina, hoc die a Martyrologio Romano, et aliis plerisque refertur. Vitam dabimus, quo die colitur a sacro ordine Carmelitarum 11. Februar.
- S. Fulgentius Episcopus Utriculanus. Galesinius, et

- MS. Florar. nos xxii. Maii.
- S. Proculus Episcopus Interamnensis. Ferrarius et Galesinius. Colitur Bononiæ 1. Junii cum altero Proculo milite; Interamnæ vero 1. Decembris, quod eo die corporis ejus facta translatio fuerit. Nos de eo agemus 1. Junii.
- S. Basili Magni depositio hoc die celebratur in Martyrologio Romano, ceterisque omnibus; sed vitam ejus dabimus XVIII. Kal. Julii, quo ordinatus fuit Episcopus, quo etiam præcipue colitur, 14. Junii.
- S. Servanus, alius Sernanus, Episcopus, Apostolus Orcadam, hoc die refertur a Ferrario; a Davide vero Camerario XX. Aprilis; ab Adamo Regio in Calendario Scotico, MS. Florario Sanctorum, Carthusianis Coloniensibus in additionibus ad Usuardum excusis anno 1313 et 1321 et aliis, quos potius sequemur, 1. Julii.
- S. Ferrutius Martyr Moguntia. Ferrarius, qui putat hoc die agi ejus translationem, nam natalis 28. Octob. celebratur. Extat quidem translationis historia in Moguntiacis Serrarii nostri: sed neque quo die acciderit expressum est, neque, quos consulimus, Moguntini, hoc die quidquam ad ejus venerationem publice fieri meminerunt. Agemus igitur de eo xxviii. Octob.

NOT. 1.

CIRCUMCISIO DOMINI

ET OCTAVA NATIVITATIS.

AN. CHR. I.

1 JANU.
Kalendæ
Januarii
celebres.

Præcipua semper religione celebrata a Christianis Kalendæ Januariæ sunt, propter Dominici Natalis octavam, sacrosanctæ Circumcisionis Christi memoriam, et augustissimum nomen JESU, in quo nimirum oportet omnes homines salvos fieri. Merito igitur veteres Romanos in auspiciando ab hoc die anno sequi Ecclesia maluit, quam ceteras gentes, quæ aliud quodpiam statuerent exordium, ut ipse dies sacrum nostræ symbolum salutis præferret.

2 De ipsarum Kalendarum die, Gentilium ritibus, Christianorum jejuniis, litaniis, latis contrastrenas et profanum luxum legibus, multa erudite commentatur in Notationibus ad Martyrologium Baronius. De Circumcisionis vero mysterio, et sanctissimo Jesu nomine, plurimæ extant Sanctorum Patrum homiliæ, multi recentiorum tractatus. Hic unicum dabimus Faustini Episcopi, habitum contra superstitiosos quorundam Christianorum mores, sermonem, quem hactenus (ut quidem remur) non editum ex vetustis Accincti monasterii monumentis eruit Petrus Franciscus Chiffletius noster. Tum de sacro Christi præputio quædam ab Heriberto Rosweydo nostro ex variis auctoribus et MSS. collecta subjiciemus.

FAUSTINI EPISCOPI SERMO

IN KALENDIS JANUARI

ex vetusto codice descriptus

a Petro Francisco Chiffletio Soc. JESU.

Dies Kalendarum istarum, fratres carissimi, quas Januarias vocant, a Jano quodam homine perditum et sacrilego nomen accepit. Janus autem iste Dux quondam et Princeps hominum paganorum fuit: quem imperiti homines et rustici, dum quasi Regem metunt, velut Deum colere cœperunt. Detulerunt enim ei illicitum honorem dum in eo expavescent regiam potestatem. Homines quippe stulti et ignorantes Deum, illos hinc maxime ex diis æstimabant, quos inter homines sublimiores esse cernebant. Ac sic factum est ut unius veri Dei cultus ad multa deorum, vel potius demoniorum, nomina transferretur. Diem ergo Kalendarum hodiernarum de nomine Jani, sicut jam dictum est, nuncuparunt: utique ut ei homini, cui divinos honores conferre cupiebant, et finem unius anni et alterius initium deferrent.

Kalendæ
Januariæ a
Jano dictæ.qui pro
Deo cultus:ei anni ini-
tium, et finis
dictus.Duæ ei facies
affictæ.

2 Et quia apud illos Januariæ Kalendæ unum annum implere, alium incipere dicebantur, ideo Kalendas istas in termino posuerunt: ut unum annum finire, alium incipere crederetur. Et hinc est quod antiqui idolorum cultores ipsi Jano duas facies figurarunt; unam ante ipsum, aliam post ipsum: unam quæ præteritum annum videtur aspicere, aliam quæ futurum. Ac sic homines insipientes duas ei facies deputando, dum eum facere Deum cupiunt, monstrum esse fecerunt. Hoc est, voluerunt in Deo suo esse principium, quod est etiam in pecude monstruosum.

sum.

sum. Et ideo optima erroris ipsius declaratione atque indicio, dum eum religiosa vanitate magnum Deum videre volunt, dæmonium publicarunt.

3 Hinc itaque est quod istis diebus pagani homines perverso omnium rerum ordine obscœnis deformitatibus aguntur: utique ut tales se faciant qui colunt, qualis fuit ille qui colitur. In istis enim diebus miseri homines, et quod pejus est, etiam aliqui baptizati, sumunt formas adulteras; sumunt species monstruosas. In quibus quidem quæ primum ridenda ac potius dolenda sint, nescio. Quis enim sapiens credere poterit inveniri aliquos sanæ mentis, qui cervulum facientes in ferarum se velint habitus commutari? Alii vestiuntur pellibus pecudum, alii assumunt capita bestiarum, gaudentes et exultantes si taliter se in ferinas species transformaverint, ut homines non esse videantur. Ex quo indicant ac probant, non tam se habitum belluinum habere quam sensum. Nam quamvis similitudines diversorum animalium exprimere in se velint, certum est tamen in his magis cor pecudum esse quam formam humanam.

4 Jam vero illud quale vel quam turpe est, quod viri nati tunicis muliebribus vestiuntur, et turpissima demutatione puellaribus figuris virile robur effeminant; non erubescerent inserere tunicis muliebribus militares lacertos? Barbatas facies præferunt, et videri se feminas volunt: et merito virilem jam fortitudinem non habent, qui in muliebres habitus transierunt. Justo enim judicio Dei evenisse credendum est ut militarem virtutem amitterent, qui feminarum specie se deformassent.

5 Et quia Deus placatus vobis inspirare dignatus, ut pro amore fidei ista miserabilis consuetudo de hac civitate ad integrum tolleretur; rogo vos, fratres carissimi, ut vobis non sufficiat, quod ipsi hoc malum Deo donante non facitis; sed ubicumque alicubi fieri videritis arguite, castigate, corripite, et vestro salubri consilio de isto miserabili sacrilegio homines stultos revocate: et ut ad integrum vos divinæ misericordiæ consecratis, etiam illas alias observationes, velut diaboli venena, respuite: quas, quod pejus est, adhuc plures in populo Christiano observare non erubescunt.

6 Sunt enim qui in Kalendis Januariis ita anguria observant, ut focum de domo sua vel aliud quodcumque beneficium cuiusque petenti non tribuant. Diabolicas etiam strenas et ab aliis accipiunt, et ipsi aliis offerunt. Aliqui etiam rustici mensulas suas in ista nocte, quæ præterit, plenas multis rebus, quæ ad manducandum sunt necessariae, componentes, tota nocte sic compositas esse volunt, credentes quod hoc illis Kalendæ Januariæ præstare possint, ut per to-

tum annum convivia illorum in tali abundantia perseverent. Et quia sicut scriptum est, *Modicum fermentum totam massam corrumpit*, etiam ista vel aliis similia, quæ longum est dicere, quæ ab imperitis aut parva aut nulla peccata esse creduntur; a vestris ordinate famulis removeri: et hoc præcipite, ut sic Kalendas istas colant, quomodo aliorum mensium colere solent. Qui enim aliquid de paganorum consuetudine in istis diebus observare voluerint, timendum est ne eis nomen Christianum prodesse non possit.

7 Et ideo sancti antiqui Patres nostri considerantes maximam partem generis humani diebus istis gulæ vel luxuriæ deservire, ebrietatibus et sacrilegis salutationibus insanire; statuerunt in universo mundo, ut per omnes ecclesias publicum indiceretur jejunium: ut agnoscerent miseri homines in tantum se malefacere, ut pro illorum peccatis necesse esset omnibus Ecclesiis jejunare. Jejunemus ergo, fratres charissimi, in istis diebus, et cum vera et perfecta caritate stultitiam miserorum hominum lugeamus: ut vel sic intelligant malum suum, dum nos pro se publicum vident observare jejunium, neque enim desperandum est, quod illos Deus non possit vestra oratione corrigere, qui per Apostolum suum ineffabili pietate promisit dicens: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.*

8 Qui enim in istis Kalendis stultis hominibus luxuriose ludentibus, aliquam humanitatem impenderit, peccatis eorum participem se esse non dubitet. Nam qui de salute animæ suæ fideliter cogitat, magis de illis debet dolere vel flere, quam eum illis vel de illis ad infelicem risum suum animum relaxare. Vos vero, fratres, qui Deo propitio quotidie clamare consuecistis: *Oculi mei semper ad Dominum*; et iterum: *Ad te levavi oculos meos*; non oportet ut oculi vestri, qui assidue in ecclesia vigilantes Deo sanctificentur, videndo luxuriam stultorum hominum polluantur, magis dedignari debetis atque despiciere opus diaboli, ut in vobis integra permaneat caritas Christi. Clamate ergo cum Propheta dicentes: *Averte oculos meos ne videant vanitatem*; timentes illud quod ait Apostolus: *Non potestis mensæ Dei participes esse, et mensæ dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum.* Sed credo de Dei misericordia, quod ita per vestram castigationem illorum stultitia corrigenda est; ut non solum pro vobis, sed etiam pro illorum qui vestro exemplo proficiunt, duplicata vobis a Deo præmia repensentur. Quod ipse præstare dignetur, cuius regnum et imperium permanet in sæcula sæculorum. Amen,

PER FAUSTINUM EPISC.
I. COR. 3.
V. 6.

Antiquitus universale hoc die institutum jejunium.

Adhuc Faustini ætate servabatur.

Jacob. 5.
V. 20.

Nihil dandum ineptis hominibus bacchantibus.

Psal. 24. 15.
Psal. 122. 1.
Non licet vel eorum stultitias spectare.

Psal. 118.
V. 37.

I. COR. 10. V. 21.

Ethnici et quidam Christiani Kalendis Januariis monstruosas figuras inducunt.

Alii muliebrem habitum assumebant.

Aliæ superstitiones observationes in Kalendis Januariis.

I JAN.

COMMÉMORATIO SACROSANCTI PRÆPUTII CHRISTI, ANTVERPIÆ ET ALIBI.

Christi præputium diu Antverpiæ servatum.

Eodem reliquæ sæpe diversis locis esse putantur.

Quinque ferme sæculis sacrosanctum Christi præputium inter alias illustres Sanctorum reliquias apud se asservatum gloriantur Antverpienses: quod tamen sub annum 1566 templis ac sacrariis immani Calvinistarum furore direptis perditum est. Quoniam vero et aliæ Ecclesiæ illud apud se existere contendunt, proferam quæ de eo varii auctores tradidere: judicium de re tota Lectori relinquam. Neque id novum est plures Ecclesias de illustribus aliquibus reliquiis certare, ut patebit ex Sanctorum historiis,

cum sæpe aliæ pro aliis illustrioribus aut datæ Principibus, aut suppositæ; et hæc tamen magna fide a piis hominibus culte multorum miraculorum occasione præbuerint.

2 Quod vero controvertitur a quibusdam an Christus cum præputio resurrexerit (de quo consulti possunt Titus Bostrensis et Theophylactus in caput 2 Lucæ, et alii Interpretes ac Doctores,) id ita exponit Franciscus Suarez noster 3 part. question. 54, articul. 4, disput. 37, sect. 1, ut cum præputio quidem resurrexisset Christum fateatur,